Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Claudii Ptolemei viri Alexandrini Mathematicę disciplinę Philosophi doctissimi Geographię opus nouissima traductione

Ptolemaeus, Claudius

Argentin[a]e, 1513

Annotation (hs.)

urn:nbn:de:bsz:31-118326

Visual Library

Generalis tabula Ptolomei

Additio. De dispositione terre sunt multi et varii modi loquendi. Nam quidam presupponunt quod omnia maria se contingunt et quod occeanus est multo maior tota terra et tenuit eam undique. et terra est in aqua sicut pila levis sive sicut unum pomum in pelui plena aqua cuius sola summitas apparet super aquam. et dicunt quod hoc fecit deus in principio. Nam cum tota terra esset tecta aquis deus divisit partes aquarum et mansit illa pars discoperta et fecit ad habitationem hominum. Sed quia partes aque non possent in se contineri quin fluerent super faciem terre nisi terra esset elevata et extensa a centro usque unam partem celi. Et ideo dicunt isti quod centrum terre non est centrum mundi immo inclinatur a centro per attractionem quarundam stellarum ad unam partem mundi. Sed illa positio est manifeste irrationabilis primo quia esset contra totam philosophiam et contra sacram scripturam quia deus fundavit eam super stabilitatem suam et centrum mundi a quo non inclinabitur in seculum seculi. Secundo est irrationabilis per aliquam partem stellarum hic sequeretur quod terra continue moveretur in gyrum ad motum illarum stellarum attrahentium quod est falsum. Et ideo dicunt quidam philosophi quod centrum terre est centrum mundi sed deus elevavit et tumefecit unam partem eius in principio. et ista pars que apparet arida et quidam gibbus elevatus super aquas ad nostram habitationem dividens partes aquarum. Et sic salvant terram manere semper in centro mundi. Sed ista positio est insufficiens. Nam presupponit quod occeanus sit multo minor tota terra quod est falsum ut patebit. Item sequeretur quod ille gibbus terre esset maior parte terre et per consequens terra non esset rotunda sed pyramidalis unde sequerentur multa inconvenientia contra positionem omnium philosophorum et astronomorum. Et ideo est dicendum quod positio et descriptio Ptolomei de dispositione terre et aquarum est magis rationabilis et magis conformis sacre scripture et verior ut apparet ad sensum et per experientiam multorum est probatum qui peragraverunt et navigaverunt diversas partes mundi. Ad cuius evidentiam est advertendum quod tota dispositio terre consistit principaliter in montibus et vallibus et campis declinibus. Nam de necessitate inter montes consistunt valles. et si montes inter se sunt valde distantes tunc inter eos in talibus vallibus consistunt campi plani. sed nunquam possunt esse tam plani quin aliquantulum sint declives usque medium illius vallis. Et hinc est quod aque fontales emanantes ex lateribus aut radicibus montium semper decurrunt per campos declives usque ad medium et partes depressiores et inferiores illius vallis. Et sic ex multis fontibus decurrentibus a fontibus fiunt flumina in vallibus. Et quia omnes valles ut plurimum sunt declives et declinant usque ad aliquam vallem infimam non habentem exitum ideo semper flumina decurrunt per valles et campos declives usque ad infimam vallem et ibi congregantur multa flumina. et ex quorum congregatione consistunt maria ut manifeste patet in nostro mari mediterraneo et in mari euxino et in mari caspio. Nam nostrum mare tyrrenum et mediterraneum nichil aliud est nisi quedam vasta vallis infima que consistit inter montes athlantem ex parte affrice et montes hyspanie et gallie et ytalie et grecie ex parte europe. ad quam vallem decurrunt omnia flumina decurrentia a latere aquilonari montis athlantis et a latere meridionali montium hyspanie et gallie et ytalie et asie minoris. Et sic omnes congregationes aquarum istorum fluminum efficiunt mare tyrrenum in hac valle. quod quidem mare dividit europam ab affrica. Iste mare ponticum sive euxinum nichil aliud est nisi quedam vallis consita et clausa ab aquilone per montes ripheos et partem cimmeriam et ab oriente per montes armenie. et a meridie per montes galacie et capadocie. et ab occasu per montes dacie. ad quam vallem decurrunt tanays cum pluribus aliis fluminibus ex parte aquilonis. et boristenes et hypanis et danubius ex parte occidentis. et phasis cum pluribus aliis ab armenia. et multa alia flumina veniunt ab asia minori. que aque simul congregate efficiunt mare ponticum quod per angustum fretum ponticum et hellesponti continuatur cum nostro mari tyrreno. et postea mare tyrrenum continuatur et iungitur cum occeano per angustum fretum gaditanum. Sed si flumina congregantur in aliqua valle montibus undique clausa tunc efficiunt mare separatum per se ab occeano et ceteris maribus. et isto modo efficitur mare caspium ex congregatione multorum et vastorum fluminum scilicet zaby et gerri et amerie et oxi et cambisis et cyri et araxis. qui decurrunt in illam vallem clausam ab oriente montibus ymavi. et ab aquilone montibus hyperboreis et parte cimmeria. et ab occasu montibus armenie. et a meridie montibus tauri et montibus medorum. et sic ex congregatione istorum et multorum aliorum fluminum et aquarum efficitur mare caspium in illa valle in nulla sui parte contingens occeanum nec aliud mare. Et sic est dicendum de mari indico ut patebit. Ex quibus patet quod congregationes aquarum ad flumina et maria causantur ex dispositione terre que consistit in montibus et vallibus et campis declinibus. Nam montes et campi efficiunt terram habitabilem. et congregationes fontium efficiunt flumina et paludes. et congregationes fluminum in vallibus infimis efficiunt maria. Ad cuius maiorem evidentiam est iterum advertendum quod quinque sunt famosissimi montes qui efficiunt et claudunt totam terram habitabilem nobis notam cum suis maribus. quorum duo claudunt eam ab aquilone et meridie. Et ceteri tres efficiunt terram mediam habitabilem. et terminant et claudunt maria inter eorum latera. Unde ultra equinoctialem per quindecim gradus reperitur quidam mons qui satis longo tractu venit ab occidente. terminans occeanum et sinum hesperium. et exinde procedit versus orientem terminando totam affricam nobis notam a meridie. et exinde procedit versus a prasso usque ad catygaram regionem sinarum semper terminando mare indicum a meridie. Iste mons a principio sue notitie in littore occeani occidentalis et sinus hesperii appellatur speimera ab ipsis grecis. Deinde magis procedens versus orientem appellatur. yon. Deinde nominatur dauchis. Deinde. xiphas. Deinde mesoi. Deinde bardetis. Deinde dicitur agissimba. Deinde procedens usque ad sexagesimum gradum longitudinis. appellatur lune. A cuius latere aquilonari oriuntur fontes nili. decurrentes ad plana. ubi efficiunt duas vastissimas paludes a quibus egreditur nilus veniens versus aquilonem per ethiopiam usque in egyptum in cuius littore absorbetur a mari nostro. Sed iste mons lune extenditur ultra versus orientem usque ad CXXX gradus longitudinis. et tunc appellatur prassus ubi attingit ad mare indicum faciens in eo promontorium in principio maris indici et sinus barbarici. Et tunc extenditur ulterius versus orientem per ex gradus usque ad catygaram stationem sinarum. terminando mare indicum ab austro. et sic ignoratur procedit ulterius per terram incognitam cuius finis ignoratur. Et sic iste mons cingit et terminat totam affricam et asiam ab austro. et sic ignoratur eius principium et finis. et est ita altissimus quod in radicibus eius generatur ignis ex refractione radiorum solarium maxime in medio hyemis. quando tunc radii cadunt illuc perpendiculariter. sed in medio montis sunt perpetue nives. que liquefacte in equinoctiis implent paludes. Et quando aquarum habundantia invadit nilus in equinoctio. In summitate autem illius montis non sunt pluvie nec venti. ideo putant aliqui ibi esse paradisum deliciarum propter eius temperiem. Iste mons a prasso usque ad catygaram appellatur pyron ab ipsis grecis. eo quod in eius radicibus generatur ignis. et in medio semper apparent flamme et fulgura et coruscationes.

Item ad aquilonem in XXX gradu longitudinis et LXVI latitudinis incipit quoddam promontorium quasi sinus scotorum quod tyle ptholomeus et omnes antiqui appellant. quod ptholomeus putavit esse insulam sed in veritate compertum est postea per experientiam illud montem protrahi usque orientem usque ad montem rypheum. que provincia hodie norwegia appellatur. ultra quem montem versus aquilonem adiacet magna regio que habitatur cuius finis usque polum ignoratur. que quidem regio

Nota

Mediterraneum

Mare euxinum

Mons lune

nilus

fulmina

Tile promontorium